

753

bantes maximè huic malo sunt obnoxii, sic enim vapores ad caput facilè ascendere possunt, & meatus aliquo modo angustantur. Obstructio autem hæc est levis, facile enim auferri potest, patet etiam exinde, quia sensus non planè tolluntur, sed saltem torpescunt & stupidi redduntur.

VI. *Causa mediata* est vapor crassus, qui meatus cerebri, ad spinalis medullæ principium tendentes, obstruit. Crassum esse hunc vaporem patet, quia taliter affecti difficulter expergiscuntur, si enim esset vapor tenuis & subtilis, facillimè dispergeretur, & somnus excuteretur. Neque etiam humor, imprimis crassus, lentus ac viscidus causa obstructionis statui potest, siquidem aliàs paroxysmus non ita citò solveretur. Denique nec omnimoda contingit obstructio, ut in Caro; Apoplexiâ similibusve affectibus, in quibus sensus non solum torpescunt, sed planè ad tempus tolluntur.

VII. Generantur hi vapores vel in ipso capite quando scilicet ob cerebri frigiditatem, vapores & humores crassi ac flatulenti in eo abundant, qui post modum spiritus animales ad thoracem tendentes cohibent. Vel generantur extra caput in reliquis corporis partibus v. g. ventriculo, hypochondriis &c. quando sanguis crassus, pituita lenta, aut humor *Melancholicus* (qui præ reliquis maximè flatuosus) attenuantur, ad caput ascendunt, spiritibus sese miscent, & facultatem motricem lædunt. Quo & vermes in intestinis hærentes referri queunt.

VIII. *Cause remotiores, procatartice & evidentes sunt.*
Aer frigidus & humidus. Hic enim malo huic materiam idoneam subministrando admodum commodus. *Cibus & potus* in nimia quantitate sumptus, item flatuosus: Hic enim quia à ventriculo perfectè concoqui nequit, crudita-

tum